

*G de Laurent*

/ Ill/me Domine

1       Eo libentius ad V/am Celsitudinem confugio quod noverim literas  
meas sibi non injucundas esse, sed gratas maxime. Orta est difficul-  
tas inter nos et Capitulum nostrae metropolitanae de qua sacram  
5 Congregationem suo adjutus favore consulendam duxi, quae talis est.  
Die 25/a Augusti in qua cadit festum S/ti Ludovici cadit etiam jux-  
ta breviarium vetus Ecclesiae Arelatensis festum S/ti Genesii mar-  
tyris qui fuit civis Arelatensis: et quoniam in dicto mense Augusti  
multa festa coluntur a civibus nostris, ob eamque causam non sine  
10 magno populi incommodo (qui eo tempore frugibus (quorum magna est  
copia) in urbem deducendis vacat) indici poterat ut festum S/ti Ge-  
nesii ea die qua cadit a populo coleretur, de consensu Comunitatis  
Arelatensis et Capituli dictae Metropolitanae judicatum est festum  
illud transferri debere in dominicam proximiorum alio festo duppli-  
15 ci non impeditam, qua die et per concionem in qua de vita et gestis  
beati martyris ageretur, et per publicam supplicationem honor tan-  
to Martyri debitus referretur. Ut decretum fuit, ita et executioni  
mandatum idque per annos duos proxime elapsos. Anno praesenti quo-  
niam Dominica proximior post festum sancti martyris fuit impedita  
20 festo sancti Caesaris Episcopi Arelatensis quod celebratur sub of-  
ficio dupplici, volui ego juxta decretum a nobis editum festum il-  
lud transferri in sequentem Dominicam quae nullo festo dupplici  
erat impedita: Capitulum Metropolitanae in qua requiescunt reli-  
quiae sancti martyris a tribus annis tantum, cum prius in Ecclesia  
25 Patrum Carmelitarum, et paulo ante in aede sacra sancti Honorati  
etiam Episcopi Arelatensis, quae est extra muros civitatis, venera-  
rentur, voluit non obstante supradicto decreto a se ut dixi per  
biennium approbato illud celebrare die ipsa festi, ut de facto ce-  
lebravit cum maximo virorum timoratorum scandalo, unica suffultum  
30 ratione quod inquebat non licere ordinariis locorum festa trans-  
ferre, idque solis summis Pontificibus licere. Quaero igitur num

/ mihi licuerit jam dictum festum sancti Genesii in Dominicam proximiorem non impeditam transferre, et humiliter peto super hac re a sacra Congregatione responderi; erit mihi suum responsum lex inconcussa. Caeterum forsitan videbit Ill/ma D.V. duos ex religiosis Patrum Celestinorum conventus Avenionensis, sed advertat si placuerit eos a caeteris Patribus reformatis defecisse, ut si quid adversus dictos Patres reformatos moliri studuerint, id sibi sit suspectum. At quoniam isti Patres acceperunt certum quoddam diploma a Patribus Augustinianis reformatis hujus civitatis ab eorum Patre Provinciali confectum quo Ill/mae D.V. insinuarent ac fidem facerent dictos Venerabiles Patres Augustinenses et maxime pios esse ac valde utiles bono publico, et universo Augustiniano Ordini, nec quidquam specie reformationis egisse contra debitam superioribus obedientiam, vel antiquam regulae observantiam, aut aliquid mutasse in habitu, aut innovasse quod dicti Ordinis constitutionibus videatur repugnare, imo et per omnia et in omnibus sese Provinciali submitunt non obstantibus privilegiis illis ante biennium a Summo Pontifice concessis. Rogo igitur ut dignetur V/a Amplitudo illud praefatum diploma lubens excipere, et pia intentioni dictorum Patrum Augustinensium pro vestra singulari benignitate et summa charitate fovere. Nihil enim illi religiosi Patres a V/a Ill/ma D. contendunt contra justitiam aut quod maxime vestram non deceat pietatem et summum in religionem amorem, aut sane quod illorum R/mo p. Generali debeat displicere, quandoquidem nihil aliud moliuntur isti Patres nisi ut Augustiniana religio pristinum candorem, et suum vere augustum nomen recuperet, et omni foedata turpitudine repulsa monasteria refoventur, et maxime Avenionense in quo nuper Patres qui in illo degunt ipsummet Provinciale verberare voluerunt, et nisi intervenisset autoritas Ill/mi D. Prolegati Avenionensis forsitan enecassent, quae omnia non latent R/um P. Generalem dicti Ordinis

Arch.Vat Vale totius Ecclesiae praeclarum lumen, decus et ornamentum. Arelatae  
 Ges. 20. die VIII/a octob. anno 1617. Vestrae Amplitudinis  
 Orig. Humillimus cultor, et ad omnia obsequentissimus / Gasp. Arch. Ar.